



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. I LITTERAE APOSTOLICAE QUANTAM TANDEM IN BIELORUSSIAE REPUBLICA
APOSTOLICA CONDITUR NUNTIATURA Ad perpetuam rei memoriam. – Quantam tandem pacem optabilem ac
prosperitatem, quanta praeterea cuiusdam progressionis socialis semina ipsi societati civili adferre consueverit amicitia
publice contracta necnon adsiduus necessitudinis usus frequentatus hanc inter Sedem Apostolicam et per orbem
terrarum singular Nationes, nemo profecto erit quin pridem perspexerit Nosque ipsi magis immo id in dies experimur.
Quae quidem causa ipsa dignissima Nobis omnino videtur cur iam cum Bielorussiae natione arctiora coniunctionis
vincula conserantur per institutionem Apostolicae Nuntiaturae, et opus dein Legati Nostri eundem apud populum. Ideo,
initis feliciter talibus publicis officiorum vinculis universisque huius rei ponderatis rationibus, apostolica Nostra auctoritate
harumque Litterarum Apostolicarum virtute in Bielorussia legitime constituimus Nuntiaturam Apostolicam atque
condimus, cui simul omnia et singula addimus privilegia officia indulta quae sunt eius modi Legationum secundum
canones sacros propria. Dum illius sedem Nuntiaturae in urbe vulgari nomine MINSK collocamus, ipsi Pontificio ibidem
Legato munia et iura tribuimus quae, praeter pacta conventa cum civili commemorato Gubernio, ad illum pertinent e
canonibus 362-367 Codicis Iuris Canonici. Exoptantes denique ut de hisce consiliis Nostris permagna tam rerum
ecclesialium quam civilium profluant incrementa, volumus universa quae hic edixerimus et statuerimus vim suam
exserere in posterum sicut in praesentia tempora, contrariis quibuslibet causis haudquaquam obstantibus. *Datum Romae
apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis Novembris, anno MCMXCII, Pontificatus Nostri decimo
quinto.* ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1992 - Libreria Editrice Vaticana
